Decisio
Quaestionis intricatissimae, et admodum Controversae de vero Anno Nativitatis S. Stephani.

Nolo ego hic recensere Sententias, et argumenta Variorum Historio-„graphorum, id solum innuo, limites horum Authorum versari intra Annum 969, et 989. spatio annorum 20.

Meum erit ex Authore Veritatis, id est, ex Anonymo Belae Regis Notario, inquirere in Annum verum Nativitatis S. Stephani. Decisio autem hujus Quaestionis unice dependet a duobus punctis Fixis, seu Epochis, quae in controversiam vocari nequeant. Scilicet: quo Anno Geysa, Pater S. Stephani natus et mortuus sit. Haec puncta fixa, si rite decisa fuerint, Annus Nativitatis S. Stephani certus, manifestusque erit. –

Quod punctum fixum, seu Annum mortis Geysae attinet, hoc extra omnium Historicorum controversiam definitum est, Annum nempe certissimum mortis Geysae esse An. 997.

Resolutio ergo tota versatur in definiendo Anno Nativitatis Geysae. hunc si rite ex Anonymo Belae Regis Notario deduxerimus, et fixum habuerimus, jam Annus Nativitatis S. Stephani manifestus erit. Annum hunc quidem Nativitatis Geysae expressis numeris, nullibi in Anonymo reperimus, sed reperimus data Historica, e quibus certo concludi potest annus Nativitatis Geysae, Filii Toxun, idque ex Capite LVII Anonymi recta argumentatione conficiemus.

In hoc ergo Capite LVII, quem inscripsit: de Constitutione Regni. Haec habentur:

„Dux vero Zulta, post reversionem Militum suorum fixit metas
„Regni. Ex Parte Graecorum etc: usque ad verba: sicut primo fecerat Regni metam Borsu filius Bunger.

Dein prosequitur „Et dum Dux Zulta, et sui Milites ita radicati
„essent, tunc Dux Zulta, duxit Filio Toxun uxorem de Terra Cumanorum: et ipso vivente etc.

Ex his Anonymi dictis jam recta Argumentatione, sequenti modo, eruo Annum Nativitatis Geysae 958.

Praenotari autem velim sequentia:

Cap. XL.

j. Me non morari illa, quae ex Porphyrogeneta quidam Historici concludere volunt, Zultam filium Arpad dudum ante annum 955 mortuum, ego enim sequor Anonymum, Historicum Veritatis Domesticum, qui sine dubio, e Manuscriptis, et Diplomatibus melius scire debuit Acta, factaque suae Gentis, quam scriptor exterus, ab Historicis fortassis non recte intellectus,

2do certum esse (quod ex tota serie narrationum Anonymi caput LVII praecedentium, patet) fortia bellorum Acta ita finita fuisse, ut a tempore ultimae Reversionis militum Hungarorum Zulta, cum sequentibus duce Geysa in pace tam interna quam externa Regnum Hungariae administraverit. Pacem autem hanc consecutus est Zulta per Limites Hungariae fixos secundum pacta et tractata Gentium Hungariam circumcolentium, puta cum graecis, dum sic figit Limitem: Ex parte graecorum usque ad portam Vacil. + usque ad terram Racy. id est: ad Meridiem. — Ab occidente usque ad mare, ubi Spalatina civitas. — Ex parte Teutonicorum, usque ad fontem Guncil, id est: ad caput seu originem fluvii nunc Günz dicti. — Ex parte vero Bohemorum (seu inter occidentem et septentrionem) fixit metas usque ad fluvium Morva (Morava) — Et eodem modo ex parte Polonorum (id est ad septentrionem) usque ad montem Tatur (Tatra). Hi ergo limites Hungariae ex pactis, et contractibus gentium Hungariam circumcolentium fixa, firmataque erant a Zulta.

His jam praenotatis accedamus jam propius ad Resolutionem quaestionis.

Ex dictis his manifestum est: Reversionem militum, cujus hic meminit Anonymus, necessario intelligendam esse ultimam omnium Expeditionum militarium extra Hungariam susceptarum, post quam Reversionem diuturna pax erat inter Hungaros tempore Zultae, Toxun, et Geysae, quaenam autem illa ultima Expeditio fuit? si non illa, in qua tam ingenti clade affecta erat Nobilis Gens Hungarorum ad Augustam Urbem, cujus Anonymus meminit in Capite praecedente seu Capite LVI. Ajo, ergo ultimam Reversionem Militum Hungarorum, quam hic refert Anonymus non aliam esse, quam Reversionem a clade Augustana. est autem

cladis hujus ad Urbem Augustam factæ Annus certus, et à nullo Historicorum in Controversiam vocatus, Annus scilicet 955.

Anno ergo 955 facta est ultima Reversio Hungarorum ex exteris Expeditionibus, ~~hoc ergo~~ post hunc ergo Annum 955 fixi sunt Limites Hungariæ, et reliqua, quæ ab Anonymo hoc capite LVII narrantur.

Fixo igitur hoc Anno 955 Reversionis ultimæ Hungarorum jam fixum habebimus Annum Nativitatis Geysæ.

Narrat ergo Anonymus post Reversionem Hungarorum ab Augusta Urbe: ~~[illegible]~~ Ducem Zultam fixisse Limites Hungariæ, ergo post Annum 955 fixit Limites, est autem credibile, quod prima Cura Zultæ fuerit post Cladem illam acceptam, pacta, conventaque inire pacis, et Limitum ~~fixorum~~ Regni definiendorum cum Gentibus circum colentibus Hungariam, statuere: ergo possumus cum ratione asserere Annum 956 Zultam fixisse Limites Hungariæ, neque ultra hunc Annum tanti momenti negotium dilatum fuisse.

Hoc jam anno 956 statuto firmatorum Limitum Hungariæ jam Annus Nativitatis Geysæ nos latere non potest, ait enim Anonymus hoc capite LVII. „Et dum Dux Zulta, et sui Milites ita radicati essent. (hoc est firmatis Limitibus) tunc Dux Zulta duxit filio suo Toxun uxorem. Ex hoc textu ita argumentor. Zulta non ante fixos limites duxit uxorem filio Toxun, quia dicit: Et dum Dux Zulta et sui Milites ita radicati essent, Tunc, ~~ergo~~ hoc est, post annum fixationis Limitum, ergo post annum 956. Sed iterum ~~[illegible]~~ credibile est post annum 956 fixationis Limitum, non diu distulisse Zultam, negotium ducendæ uxoris filio suo Toxun, maxime, cum Toxun Anno 956, qui juxta Anonymum ~~natus~~ cap. LV. natus erat 931. jam ~~fuisse~~ fuit annorum 25. ergo rectissime concludere possumus annum, quo Toxun duxit uxorem fuisse annum 957, sequentem ~~aut [illegible]~~ ~~958.~~ scilicet annum 956 fixationis Limitum

His definitis jam habemus annum Nativitatis Geysæ fixum
certumque, nam si Toxun duxit Uxorem Anno 957, tum si
ponamus Geysam fuisse primogenitam prolem Ducis Toxun,
is Anno post nuptias ~~fu~~ secundo sequente seu Anno 958 nasci ~~debuit~~ potuit.
ergo rectissime statuo Annum Nativitatis Geysæ 958, ante
quem, juxta dicta Anonymi, non fuit natus, sed potius post.
~~jam ex hoc Anno Nativitatis Geysæ~~ 958 annum 958, anno aut
959. vel 960, aut 961. ~~maxime~~ idque ~~duabus~~ tribus è rationibus.

+ vel ~~+ vel 959 vel annum Geysæ~~ ~~960. si Geysa non fuit primogenita Proles~~ et

I^mo^: quia + certum non est, an ~~an~~ anno 956 illico post Reversionem
Militum anni 955. Limites fixarit Justa, ~~an potius~~ etsi maxime
verisimile sit fuisse ~~tunc~~ ~~Annum~~ 956 fixisse Limites.

II. Quia pariter certum non est, ~~sed solum~~ licet sit maxime probabile
quod illico post annum 956 fixationis Limitum Justa
uxorem dederit filio suo Toxun, idest Anno 957.

III. Quia pariter etiam incertum est, an Geysa fuerit Proles
primogenita ducis Toxun, ~~an~~ vero secundo vel tertio
genita? id ergo solum certum est, quod Geysa ante
annum 958 natus non sit, sed vel anno 958. vel anno
aliquo posteriore, puta, vel anno 959. vel 960, vel 961.

His statutis jam concludere licet, annum Nativitatis S.
Stephani cadere non posse ante ~~ut~~ 976. ~~Sed vel ad annum
976, vel~~ Nam si arctissimum Limitem Nuptiarum Ducis
Toxum figamus ad Annum 957, et ~~præterea~~ una supponamus S. Stephanum fuisse prolem primogenitam Ducis
~~Toxun~~ Geysæ, tum certe ante annum 976 non fuit natus S.
Stephanus, ~~Nam~~ Etenim si ~~Toxun~~ Geysa natus est Anno 958, tunc
dum uxorem duxit, saltem debuit ~~esse~~ esse annorum 16, vel 17 Adolescens
jam si ~~et~~ ad annum Nati ~~Toxun~~ Geysæ 958 addamus 17 annos
~~Adolescentiæ~~, quo duxit uxorem + habebimus annum 975. Nuptiarum ~~Toxun~~ Geysæ, ac proinde (quia conceptio præcedit ~~annum~~ Nativitatem saltem 9 Menses:) habebimus annum 976, seu sequentem
nuptias, quo nasci potuit ~~Geysa~~ Steph. si fuit proles primogenita.

+ Sarolttam Matrem S. Stephani.

Ego verò figo annum nati Stephani 979, annis tribus posteriùs
anno 976. è rationibus tribus supra recensitis ~~ut maxime pro~~ sed
Postquam ergo statui fixeram annum Nativitatis Geysæ ad annum 958. et
annum Nativitatis S. Stephani ad annum 979. legere cœpi

⊕